UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Discursus Prædicabiles, Sive Viridarium Sacrarum Concionum

Paoletti, Agostino

Coloniae, 1677

Altera Pars.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55660

Visual Library

7. Quid de illo dicemus, qui fratri reconciliari non vult? vivit in continuis ſuſpicionibus, ſemper eſt inquietus, de nocte non dormit, de die non quieſcit. Millies per horam cor illi palpitat, timori continuo fœdere eſt junctus, frons arboris, quæ movetur, unicum folium vento agitatum eum conſternat, quia inimicum adeſſe ſuſpicatur, qui inopinato vitam ſibi adimat. O Deus quam ſtatus eſt hic miſer? ô quam vita infelix. *O vitam* (dixit ille Præſul qui concordiam ſemper in ſuo grege ſervavit) *miſeram, & laborioſam Nonne recte vobis videbitur, & merito illa omnia pati, qui placidam concordiam recuſabit? vade, vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc venies, offeres munus tuum.* Nam nos certos reddit D. Joannes Chryſoſtomus. *Vbi concordia non eſt, nec oratio exauditur, nec oblatio ſuſcipitur, quia nec ibi eſt Deus, ubi diſcordia dominatur.* Et quia ſermo eſt de concordia, omnes concorditer nemine excepto ſtipem erogate, interim illi omnes unanimiter vos rogant, & Deum precabuntur, ut vobis mercedem repenſet. Quieſcamus.

Idem ib. fol. 310. col. 2.

D. Ioan. Chryſoſt. in cap. 5. Matth.

ALTERA PARS.

18. Concordia animorum, quam ſit proficua ſuperfluum eſſe quod probem credo; ſed quia in principio fidem dedi, promiſſis ſtabo. Non omne jucundum bonum, & è contra non omne bonum jucundum, ſed datur bonum non jucundum, & jucundum non bonum. Pœnitentiæ, jejunia, mortificationes ſunt bonæ, quia ſunt meritoriæ, & veniæ impetratoriæ ſed non ſunt jucundæ, imo pœnales, ac duræ. Voluptates mundanæ ſunt jucundæ, ſed non bonæ, quia animæ damnationem procurant. Peccatum non eſt bonum, nec jucundum, ſed peſſimum & moleſtiſſimum. Hinc ſunt qui illud deplorant. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.* Sola concordia eſt bona, & jucunda, ſi Archiepiſcopo Valentino fidem præbeamus. *Bonum, & jucundum eſt charitas ſola; hoc privilegium quippe ſoli charitati reſervatum eſt, ut cum ſit non ſolum bonum, ſed maximum omnium bonorum, ſit quoque jucundiſſimum; omnis quippe alia virtus pœnam habet annexam.*

Sapien. cap. 5.

B. Thom. à Vill. ubi ſupra fol. 318. col. 1.

19. Multæ aliæ ſunt cauſæ, quæ nos movere deberent, ut eam inviolabiliter ſervemus. An res ſit in orbe quam præferamus vitæ & ſanitati? *Bona* dicebat Nicoſtratus *valetudine nullum mihi videtur ornamentum, aut monile pretioſius,* hinc teſte Laërtio felix proclamatus fuit Zeno: *Quia nonageſimo octavo ætatis ſuæ anno vita exceſſit incolumis, atque integer ſine morbo.* Porrò quis ignorat ſanitatem dependere à concordia humorum, & qualitatum? *Sanitas nihil eſt aliud, quam diſpoſitio quadam, quæ ex humido, & ſicco, frigido, & calido, vel natura, vel artis beneficio apto compoſito conſtat.* En concordiam. *Quod ſi tantillum naturæ demas, vel artis, diſpoſitionem illam turbas.* En diſcordiam. Et quid ſequitur? *Ipſam ſanitatem evertis.*

20. O quam delectabilis non eſt muſica, etiam ipſi Tygridi jucunda eſt. Hæc temperat furores iræ, animos, turbatos ſedat, acerbitatem dolorum mitigat; hinc Plato: *Voces perſpicuæ & ſuaves, innatam deferunt voluptatem.* Sed muſica, ex quo formatur, niſi ex conſonantia fidium, vocum, ac inſtrumentorum? non ſine cauſa Xenophon eam hoc titulo decoravit. *Maximum civitatis bonum eſt concordia, ſine qua neque civitas benè gubernatur, neque domus recte adminiſtrari poteſt.* Anthiſtenes munimen civitatis in concordia conſiſtere putavit, *Civium inter ſe concordia, quovis muro firmius eſt munimentum.* Ageſilaus interrogatus, cur Spartani civitatem muris non cingerent, reſpondit: *Nullo munimento tutiorem eſſe quam virtute civium conſentientium.* Scipioni Africano quærenti cur Numidiæ cives initio in certaminis ſemper eſſent victores, poſtea vero ..... remitterent Treſius princeps Celtorum dixit: *Concordia victoriam, diſcordia exitium præbuit.* Severus Imperator morti proximus, de hoc ſolum, quod concordiam in imperio ſtabiliviſſet ..... gloriabatur. *Moriturus hoc dixit, rempublicam accepi ubique turbatam, pacatam etiam Britannis relinquo.*

21. Si perfectio teſte Philoſopho ſit illa: *Cui ..... nihil deeſt?* quis illam mortalium in omni genere non optet? porro hanc in rebus diſtinctis non reperiri ſciatis. Theologi abſoluta ut eſſentia, & attributa, & relativa ut paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & paſſiva in divinis aſſignant. Sed ..... hæc eſt differentia, quod abſoluta dicant perfectionem ſimpliciter ſimplicem, relationes verò ..... à perfectione, & imperfectione præſcindant. Sic cum divo Thoma docet Cajetanus. *Relatio ..... nec perfectionem dicit, nec imperfectionem, alioquin ..... vel imperfectio eſſet in Deo, vel una perſona haberet aliquam perfectionem, quam non haberet alia.* Dicat quidquid nihilominus velit Cumelius, & alii

alii quos pro ſe citat. Ratio cur abſoluta dicant perfectionem ſimpliciter ſimplicem juxta Theologos hæc eſt, quia neque realiter, neque formaliter inter ſe , & ab eſſentia diſtinguuntur. Sed quia relationes diſtinguuntur realiter, ideo ſecundùm ſe præciſe non dicunt perfectionem. Nunc arguo à fortiori : ſi in divinis ubi datur diſtinctio realis, non reperiatur perfectio , vel ſi illa , quæ diſtinguuntur realiter non dicant perfectionem, quanto magis id verum erit in creatis, quæ ſunt diviſa, & diſcordia? hinc dicebat ſanctus Pater Bernardus: *Ubi unitas, ibi perfectio, cæteri numeri perfectionem non habent.* Quomodo ergo Chriſtianus præſumat eſſe perfectus, ſi à proximo corde, ac voluntate diſtet? ſed Deus, qui nos vult perfectos, ad concordiam exhortatur: *Vade prius reconciliari fratri tuo.*

22. Hoſtium, quos habemus infenſiſſimus eſt dæmon, qui teſte divo Petro: *Circuit quærens quem devoret.* Ut omnem viam huic præcludamus ne noceat, & ut eum in fugam demus, dum faſtuoſus, & indignabundus nos vult invadere, nullum medium eſt efficacius concordia, Saul dirè ſpiritu avernali vexabatur; *Exagitabat eum ſpiritus nequam.* Mentem ejus conturbabat, corpus lacerabat, viſcera torquebat, nec momento illi quietem præbebat, ſono citharæ maximum affundendum ſolamen Palatini ſuadebant. *Iubeat Dominus noſter, & ſervi tui, qui coram te ſunt, quærant hominem ſcientem pſallere cithara, ut quando arripuerit te ſpiritus malus, pſallat manu ſua, & levius ferat.* Ex omnibus citharædis ſelectus fuit David? hic coram rege ſiſtitur, digito pererrat fides, eaſque leniter tactu explorat, & eas tam ſuaviter percurrit, ut ipſa aula ſaltare videretur. Inimicus crudelis, qui pacifice in corde Saulis quieſcebat, dum organicos numeros, fidium ſuavitatem perciperet, tremens, & confuſus à Saule ſeceſſit. *Percutiebat David citharam, & ſpiritus malus recedebat ab eo.* Magna res , quod dæmon glandes plumbeas, vel ferreas, quæ boatu ſtrepitoſo ab igne violenter propelluntur è cavo concavorum metallorum non curet, quod nec minimum ad conſpectum formidandarum phalangum contra ſe armatarum conſternetur; nihilominus ad fides cytharæ ſubigatur, ac ſono harmoniæ in fugam con iciatur. *David,* verba ſunt Divi Thomæ Villanovani , *cithara perſonante Saulis obſeſſum animum deſerebat; mira res, muſica fugatur diabolus, & qui juxta ſententiam Iob, ſagittas reputat quaſi paleas, lapides fundæ velut ſtipulas ſpernit, deridet etiam vibrantem haſtam, & duriſſimos malleos pro nihilo pendit, ad citharæ ſonitum tremefactus recedit, & quem nulla vis ſuperat, ſuperat harmonia.* Sed ſtupor ceſſet, ſonus ille ſuavis ex concordia fidium , quarum nec una diſſonabat ab altera formatus fuerat. Si ergo dæmon terrefactus & ejectus à concordia fidium fugiat ; quomodo à cordibus , ac voluntatibus hominum concordibus non fugabitur?

conc. 2. de Viſit. Virginis fol. 365. col. 2.

23. Et reconciliatio, quæ nobis non commoda affert? Jacob è Meſopotamia domum revertitur. Eſau, ut ſupra audiviſtis, cum in ejus pectore necdum rancor ſopitus eſſet , quem ob benedictionem ſibi ablatam incendit , armata manu ut eum trucidet, ei occurrit. Conveniunt, & Eſau pro eo, quod furorem reipſa oſtenderet, fratri reconciliatur, eum affectu complectitur, collo ſtringit, & oſculatur, & ut pacem ſtabilitam teſtentur, muneribus ſe invicem donant , & affectus variis modis demonſtrant. Sed verba, quibus Jacob alloquatur Eſau, audite: *Vidi faciem tuam , quaſi viderem vultum Dei.* Expoſitores ea variis conceptibus illuſtrant. Divus Chryſoſtomus ait. *Hoc magni obſequii gratia dictum eſt à juſto, ut, & eum demulceret, & ad fraternam benevolentiam duceret.* Abulenſis : *Quia Iacob valde timebat Eſau, ut eum placaret, dixit, ſe gaviſum fuiſſe in viſione ejus quaſi videret Angelum Dei.* Pagninus illa ſic legit. *Ac ſi viderem faciem Angeli.* Oleaſter: *Adverte quam probe voluerit palpare verbis fratrem , duo enim ſunt quæ maximè ſolent hominem flectere , ſcilicet munera , & laudes, quibus nunc ſanctus Iacob utitur in fratrem.* Cajetanus hoc concordiæ attribuit, quæ quantumvis Eſau eſſet ſceleratus, & impius, & reprobis adſcriptus, tamen ut fratri fœdere junctus eſt, vultum ejus in Angelicum, quaſi ſpiraret divinitatem mutavit. *Suſcipe quæſo munus meum quamvis opulentia abundes, quia non offero tibi ad ſubveniendum indigentiæ, ſed tanquam Deo, ſeu, Angelo cui offertur in ſignum venerationis, ego enim in ſignum illius tibi offero.*

Gen. c. 33. *Ioan. Chryſoſt.* *Abulenſ.* *Pagninus.* *Oleaſter.* *Cajetan.*

24. Sed quæ damna è contra non cauſat diſcordia? de diſcordibus illud Chriſti de Juda dici poteſt : *Melius illi erat ſi natus non fuiſſet.* Quid Rebecca uterum ferens de duobus filiis concertantibus dixerit recordemini. *Si ſic mihi*

futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Quæ Guerricus Abbas ſic illuſtrat. *Sed cum ſeſe colliderent parvuli diſcordes in utero Rebeccæ, quia prius oraverat, ut conciperet, dolenſque ſi ſic, inquit, futurum mihi erat, quid neceſſum erat concipere? ſi de aliquo noſtrum fratres ſic conqueri contigerit, viſcera matris noſtræ (id eſt Eccleſiæ) timeo ne melius fuiſſet, ſi conceptus homo ille non fuiſſet.* Audite Hiſtoriam. (Gen. 25.)

25. Leo Bizantius Athenas de pace cum civibus acturus ablegatus eſt: ſtaturæ erat exiguæ: ſenatum peroraturus intrat. Ad viſum hujus pigmæi quilibet effunditur in riſum. Quid ait Leo, meam parvitatem ridetis? Quid ergo faceretis, ſi uxorem meam vobis conſpicere daretur, quæ vertice vix genua mea attingit, vos judicate. Sed ſcitote, quod concordes unica ſedes, ſed diſcordes tota domus non capiat, & unum è nobis duobus exire eſt neceſſe. Ex hoc cives quam utilis ſit concordia, noxia diſcordia, didicerunt, & reconciliati ſunt. Idem vos hodie facite, dum Salvator ut ſibi ſatisfiat, & vobis utilitas inde proveniat, id præcipit dicens: *Vade prius reconciliari fratri tuo.* (Plut. in pracept. polit. philo)

DOMINICA SEXTA
POST PENTECOSTEN.

Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. D. Marc. cap. 8.

ARGUMENTUM.

Oſtenditur quàm magna ſit Dei miſericordia, & quod magis inclinetur ad effectus miſericordiæ, quàm ad rigorem juſtitiæ.

1. SI princeps ſemper fulminet ferro juſtitiæ, ac rigorem adhibet ſuppliciorum, traducitur ut inhumanus, & crudelis, corda ſubditorum feritate armat & concitati ſubinde refractantur, & rebellant. Nero monſtrum crudelitatis gloriam imperii obfuſcavit, dum uxorem veneno, matrem ferro, magiſtrum inciſione venæ extinxit, & patriam igne deſtruxit. (Officina Textoris.) Mithridatus unico rigido epiſtolio octuaginta millia Romanorum enecari juſſit. Ptolomæus matri caput, ac pedes proprii filii dono dedit. Claudius morte triginta ſenatorum, ac trecentorum nobilium nuptias cum Agrippina celebravit. Cajus Caligula Romanis unicum jugulum optaſſet, ut unico ictu omnes jugulare poſſet. (Sueton. Tranquil.) Rex Cambyſes judicem pelle exui fecit, ac tribunali in quo ſucceſſurus erat filius, illam ſuperindui juſſit. Rex ſuperbus Ægypti ob illapſam ſcypho muſcam, hominem feretro inferri voluit. Idcirco horum Imperatorum crudele dominium plus acerbitatis, quàm diuturnitatis habuit. Politica principi clementiam ſuadet, ac rigorem, & aſperitatem dehortatur, *Clementem animo, vultu placidum, ore ſubridentem principem eſſe decet ſit ergo clemens, patiens, manſuetus & pius.* Rudolphum Imperatorem nimii rigoris ſæpe pœnituit. *Severum & immitem fuiſſe me aliquando pœnituit, lenem, & placabilem nunquam.* Forſan conſilio inſiſtens Senecæ; *Nullum decet magis clementia quam principem.* Et legem obſervans imperialem: *Clementia decet principem*, timorem, & amorem ſe conciliaturum potius clementia quam rigore credidit Theodoſius Imperator filio ſuccedenti hoc monitum reliquit.

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni
Munere; ſola Deos æquat clementia nobis.

Dicto Antonii Pii: *Melius ſervare unũ, quàm occidere mille*, & poëtæ ſe conformare voluit.

Sit piger ad pœnas, princeps ad præmia velox,
Quique dolet quoties cogitet eſſe ferox.

Sed